SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII,

Epigrammatum OCTERNIO SEPTIMUS.

NOBILISSIMIS OPTIMÆQUE spei Adolescentulis, PAULO & PETRO ZAPORSCIIS, Generosi & Magnifici quondam D. Iohannis de Zaporze Zaporski, filiis:

nec non

FRANCISCO GORZKOVIO Generosi ac Magnifici D. IOHANNIS de Gorzkow Gorzkowski, filio &c. adscriptus.

Ad Lectorem.

Inferiora novis ut sint hæc, optime Lector,
De Veterum Scriptis, quæ tibi pauca damus:
Haud tibi sunt temnenda tamen: namque utile quod sit,
Atq; pium, invenies hîc quoq; fortè, VALE.

NOBILISSIMIS ADOLESCENTULIS,
PAULO ET PETRO ZAPORSCIIS
Germanis Fratribus: &,
FRANCISCO GORZKOVIO,
eorum Amitino

Salutem.

VETEREM mihi esse consuetudinem & arctissimam conjunctionem, cum ornatissimo Viro Domino THOMA GIEYZANOVIO, Collegâ Scholæ nostræ Racovianæ, & Inspectore vestro dignissimo, Adolescentuli suavissimi, vobis dubium non esse, persuasissimum mihi est. Id enim ex frequentissimo nostrûm usu, & convictu familiarissimo abundè jam pridem cognoscere potuistis. Atq; hæc non parva causa est, cur vos etiam sitis mihi carissimi. Amor enim ille noster mutuus, facit ut nostra quoq; invicem omnia nobis cara sint. Quamquam & ipsa indoles vestra per se mirificè allicit me ad vos amore complectendos; ut præterea nihil addam, de ea caussa & ratione quæ apud me est maximi momenti, quòd omnes sitis, proles cara Nobilium atq; piorum Cœtus nostri Parentum, dignorum quorum posteritatem quivis fidelis ac veræ virtutis amans singulari prosequatur favore. Accipite igitur hoc quicquid est cartacei muneris, amoris mei erga vos pignus certissimum, eo quo vobis offertur animo, ac me vestri amantem, unà cum doctissimo Præceptore vestro redamare semper pergite. Deus adsit studiis vestris, & conservet vos ad nominis sui gloriam, ac Parentum vestrorum, totiusq; Ecclesiæ decus & ornamentum. Czarkoviæ.

SIMON PISTORIUS.

SACRORUM EPIGRAMMATUM

Octernio Septimus, Simonis Pistorii.

A teneris assuescere multum est. Ecclesia: 8.

A *Primis quemvis annis, ipsaq́; Iuventâ*
Factoris memorem condecet esse sui.
Ætas succedit gravior, tristisq́; senectus,
Quod volupe est aliis, quâ tibi nausea erit.
Et quâ non adeò facilè est resipiscere cuivis,
Cùm mala per longas consenuêre moras.
Faustum, qui metuens IOVÆ *est a flore Iuventæ,*
Felici ut summam claudat agone diem!

Laborandum. Proverb: 6.

I *Piger, exemplo formicæ disce laborem,*
Cujus sedulitas ingeniosa patet.
Namq;, huic prævius est quamquam Dux nemo, futuri
Est tamen hyberni temporis illa memor:
Colligit æstivas, & cogit in horrea messes,
Ac constans in ea sedulitate sua est.
Qui sapit, invigilat rebus, toleratq́; labores,
Dum tempus, vires, ipsa Iuventa, sinunt.
Nam curvâ tacito pede subrepente Senectâ,
Non duram sortem, non timet ille famem.
Demens, qui piger est Iuvenili ætate: futuro
Nam Senio, pellat non habet unde famem!

Humana præferuntur divinis. Ies: 55.

H *Austa sitim possunt quæ verba extinguere sacram,*
Cœlitus à summo verba profecta Deo,

Absq; ullo pretio quantumvis dentur habenda,
Heu! contemnuntur pluribus illa tamen.
Quod nescit relevare sitim, vel reddere nullâ
Tranquillam mentem quod ratione potest,
Quàm multis grandi sumtu, magnoq; labore,
Quæritur humanæ Traditionis opus!
Optima sic pauci, sed deteriora sequuntur
Multi; adeò cunctis IOVA *placere nequit!*

Verbi divini utilitas. Ibid:

I*Mber ut effusis, aut nix, ubi decidit Astris,*
Non iterum notas urget ad Astra vias,
Sed tellurem implet sitientem, & temperat arva,
Atq; illa humanis usibus apta facit:
Sic etiam Verbum quod manat ab ore IEHOVÆ,
Non caret effectu, sed pia Corda beat.
Felices illas quascunq; accesserit oras!
Namq; ubicunq; manet, non sine fruge manet.

Ortus Christi & progressus. Ies: II.

S*Vrculus arenti e trunco ut vix pullulat, imbrem*
Postquam combiberit, pullulat ille tamen:
Sic Christus, postquam vix spes fuit ampliùs ulla,
Germine Iessæo, Numine fotus adest.
Et licèt hos habeat tam viles parvulus ortus,
Omnigenis donis attamen auctus erat.
Hoc crevit virtute magis, quo crevit & annis,
Divinus tandem ut Vir foret, immò Deus.
Omnis in hoc habitat Sapientia dia Magistro,
Divinæ & residet cognitionis apex.

Vis hic omnipotens & robur pectore in isto est,
Quale queat dici solius esse Dei.
Hic æqui, Veriq; tenax, jus fasq; tuetur,
Non ex Personis judicat ille Viros.
Vindicat oppressos, contritos pectore sanat,
Dissipat invictâ perfida Corda manu.
Diversos homines animis, & deniq; lingvis,
Vinclo Doctrinæ colligat ille suæ.
O quàm divinus Iessæi est germinis hæres!
Munera divini tanta favoris erant.

Officii Christi descriptio Ibid: 42. Matth. 12.

Electi IOVÆ *famuli Cœleste Propheta*
Munus, & Ingenii dona futura refert.
Sacro perfundi ceu Chrismate debuit olim,
Cœlitus a caro largiter ille PATRE.
Non audita priùs, quàm Sancta proponere & æqua
Debuerit summi Iudicia ille Dei.
Vt nullo strepitu, nullo clamore docendi
Functurus dio gnaviter officio.
Scintillam exiguæ fidei foturus ut, immo
Illi incrementum grande daturus erat.
Deniq; clementi vultu, blandoq; favore,
Vt dignaturus Pectora fida foret.
Quàm pulchrè hæc pingunt Christi cum munere mores!
Divino scripsit spiritus ista stylo!

Viri Iusti descriptio. Ibid: 33.

Qvisquis amatorem Iusti, Veriq; tenacem,
Prognatum Verbi semine, nosse cupis,

Accipe, nam certo signoq; suoq; colore,
Hunc est ad vivum pingere cura mihi:
Qui nec apertâ vi, specie nec juris & æqui,
Vicinas umquam raptat avarus opes.
Cujus pectus amans doni haud est atq; monetæ,
Excutit è manibus munera cuncta suis.
Innocuus qui consiliis ab atrocibus aures,
Et vacua humano sanguine corda gerit.
Deniq; turpe suis qui nil usurpat ocellis,
Ac fugienda etiam cuncta, reapse fugit.
Hic Iusti est Veriq; tenax, ad Legis amussim,
Excipiet talem nulla procella Virum.
Qui fugienda fugit, faciendaq; sedulus urget
Ad CHRIRTI *normam, jurè beatus homo est!*

Reddet DEUS cuiq; juxta opera sua. Eccles: 8.

S*Æpius ut videam graviter peccare scelestos,*
Differri pœnas, ut videamq; DEI,
Haud tamen idcirco Iovæ despero timentes
Posthac felices, in pretioq; fore;
Ast homines numquam reprobos impunè laturos
Sentio, utut pœnas differat ira DEI.

DEI opera haud investigabilia. Ibid: 11.

O *Opera admiranda* DEI! *cognoscere cui fas,*
Aut licitum, illa fuit, quæ Deus ipse facit!
Dicere quis poterit, quò spiret ventus & unde,
Quo crescant utero Matris & ossa modo,
Ille etiam poterit facta illa infanda IEHOVÆ
Dicere, quæ in cunctis rebus ubiq; vigent.

Nil occultum & irremuneratum. Ibid: 12.

TRanseat immensus cùm Mundus, & omnia Mundi,
Nil consultius est quàm metuiße Deum;
Et, quò Mortales Iovæ monita omnia ducunt,
Semper Præceptu invigilare datu.
Omnia nam cernens occulta & aperta IEHOVÆ,
Iudicio sistet, seu mala, sive bona.

Duce Iehova. Proverb: 3.

PEctore fide DEO *toto, soliq; cohære;*
Consiliis autem ne, rogo, fide tuis.
Nam non errabis, si te deducet euntem
IOVA; *sed extra ipsum devius error aget.*

Deus quem castigat, diligit. Ibid.

ÆRumnis quum Te variis exercet IOVA,
Quum premit, & preßum Cœlica dextra rotat:
Impatiens contrà ne sis, aut asper IOVÆ,
Neu nimio luctu conficiare, cave.
Nam quem castigat, bonus hunc impensius ardet
IOVA, *ac ut Gnatum more Parentis amat.*

Mors certa, dies incerta. Eccles: 9.

STat fati sua cuiq; dies, ignota sed illa est
Omnibus, incerto Mors venit atra pede.
Vt pisces hamo pereunt, ut caße volucres;
Sic hominum perimit mors genus omne manu.

Ex omnibus periculis emergunt boni. Proverb: 24.

QVid studio & vanis te conficis Improbe curis,
Vt Iusto exitium, perniciemq; struas?
Accipe; utut vicibus septenis, luce vel unâ,
In tua, quæ nectis, retia fortè cadat:
Ille favore Dei, tamen hinc illæsus abibit,
Implicitusq; tuis retibus Ipse cades.

In omnibus Deo gratiæ agendæ. Iob: 1.

COnfiteor, virtus aliqua est laudare Iehovam,
Quando illo vitæ commoda dante fluunt.
Laudibus at summis hunc tollere rebus in arctis,
Id demum est virtus, id Pietatis opus.
Nempe prius præstare queunt vel pectora vana,
Posterius tantùm corda dicata DEO.
Temporibus cunctis ritu patientis Iobi,
Qui pius est, summum tollet in Astra Deum.

Finis Iobi. Iob: 42.

REbus in adversis dum perstat ad ultima, dumqúe
A IOVÆ *totus pendet,* IOBUS, *ope:*
Tristia principiò, tandem lætissima cernit,
Accipit amissis & potiora bonis.
Perfer, & obdura, quum te quoq; tentat IOVA,
Si cupis, ut Te par exitus inde beet!

Vltio pia. Proverb: 25.

S*i tuus hostis egens, aut esurit, aut sitit, hujus*
Sane famem, aut potu pellere disce sitim.

Dura quidem res est, sed non est ultio major,
Nec res est summo gratior ulla DEO.

Æmulatio vitiosa fugienda. Proverb: 3.

Æmulus incautum ne te malè livor adurat,
Si fortunæ homines provehat aura malos.
Neu sors ipsorum te facta nefaria pellat
Ad paria, invidiæ te stimuletq; dolor.
Odit enim reprobos, & facta scelesta IEHOVA,
Ut bene sors illis nunc opulenta fluat.
At puras ardet mentes, sinceraq; corda,
Queîs etiam penitus se insinuare studet.

Periculosa cum iracundo consuetudo. Prover: 22.

NE *sectêre Virum, subito qui percitus œstro*
Æstuat, atq; irâ mox furit ille gravi;
Ne fortè insistens tàm fœdis moribus ejus,
Heu! prodas animam turpiter inde tuam.

Quærendus IOVA, dum invenitur. Ies: 55.

N*on semper vultum Majestas dia serenat,*
Sævum etiam è cœlo fulmen & ira venit.
Est tempus veniæ (sic rem moderante IEHOVA)
Verùm & Iudiciis est sua certa dies.
Lex habuit tristis quondam stata tempora, læti
Tempora sunt Nunc! nunc patefacta Novi.
Ergò dum IOVÆ *se Gratia dulcis abundè*
Ultrò offert, cunctis invenienda propè;

Mox quærenda venit (nam post occasio calva)
Et cupidè utraque est accipienda manu.
At quo sit quærenda modo (ne nescius erres)
Accipe, non magnus namq; docere labor.
Morum ponenda est jam corruptela priorum,
Et nova vita dehinc est ineunda tibi.
Si facis hoc, isto quo Gratia tempore regnat,
IOVA *tibi præsens inveniendus adest.*
Nulla (mali facti si te modò pœnitet) est quòd
Te priùs offensi terreat ira Dei.
Nam Vir utut quivis, homine est qui læsus ab ullo,
Vix potis est iram ponere corde suam;
Sed tardè, ac verbis vix conciliatur amicis,
Vulneris aut aliquid pectore semper alit:
At Deus offensæ tamen obliviscitur omnis,
Et mox, & cupidè, si resipiscat homo.
Qvàm procul astrato tellus hæc distat ab Axe,
A nostrâ mens est tam procul alma Dei.
Felix qui tempus, Bonitatem & novit IOVÆ,
Mox vale peccatis dicit & ille suis!

Ingratitudo. Ies: 1.

QVis putet hoc fieri! ratione carentia bruta,
Altorem agnoscunt, bos asinusq; suum.
Non agnoscit Herum, benefactoremq; IEHOVAM
Sæpè, humanæ usus cui rationis adest.
O brutas hominum mentes! præposterus iste
Si non est ordo, dicite quæso, quis est?

Virtus Evangelii. Eccles: 7.

Vir bonus unus erat Salomoni ex mille repertus,
Millibus è cunctis femina nulla proba.
Gratia Christe tibi! multos ex mille licet nunc
Quòd reperire bonos, & reperire probas.

Beatitudo Christianorum. Ies: 6.

Obvelat faciem pennâ pernice Seraphin,
Tam splendens radiat fulgor ab ore Dei.
Cœlicolas Rector paucos ita magnus amavit,
Queîs dedit aspectu pascere corda suo.
Christicolas faustos omnes! his namq; potestas
Facta Dei intuitu semper & ore frui.

Mortuos ipsos non apparere. 1. Sam: 20.

Quem muto quondam Samuelem docta sepulchro
Eduxit magico Saga ministerio,
Non verus Samuel fuit is, non ille Sacerdos,
Illius specie sed Cacodæmon erat.
Solvitur in cineres corpus, redit unde profectus
Spiritus ad Iovam, nil tamen ipse facit.
Vim pòst accipiet, Deus immortalia cœlo
Corpora spiritibus cùm dabit apta suis.
Nugatur, quisquis post fata novissima dicit
E rigidis animas ire, redire rogis!

Primus homo qualis creatus. Gen: 1. & 2.

Olim de terræ est fabrefactus pulvere (miro
Procurante Dei nomine) primus homo.

Iußus & incolere est Horti Pomaria sacri,
Pelleret ut variis fructibus inde famem.
Tùm junctus thalamo, indigenas quò mitteret Orbi,
Succeßuram hominum progeniemq́; daret.
Ante ipsum, qui talis erat sine crimine, lapsum,
Iste immortalis conditus anne fuit?

Somnium NABUCHODONOSORIS. Dan. 3.

NOx erat, & placidos suadebant sidera somnos,
Terruit Aßyrium talis imago Ducem:
Stabat terribilis procerus ad astra Colossus,
Materiâ formæ multicolore suæ.
Auro ardebat apex, argento pectus & armi
Ære cavus solido venter ad usque genu.
Dura nigrum ferri referebant crura rigorem,
De ferro & fragili cætera mixta luto.
En lapis absque manu summo de monte revulsus,
Occupat adventu membra stupenda suo.
Et primùm talos, mox ardua proterit ora,
Nullaq́; sunt subito signa relicta Viri.
Inde lapis crevit tangentem in sidera montem,
Lativagamq́; suâ mole replevit humum:
Imperium florens fulvo celebratur in auro,
Quale Semiramiæ tùm Babylonis erat.
Regna per argentum Persarum intellige; quamquam
Sat fœcunda, tamen divitiora minùs.
At Ducis Emathii prognati rege Philippo
Æra per immensæ significantur opes.

Itala per chalybem deformia Sceptra notantur,
Victorem Populis impositura pedem.
Stat modò pars nunc ima pedum ferroq́ lutoq́
(Nam solida ex magna parte peracta diu est)
Hanc lapis absque manu celso de monte revulsus
Conteret, exigui temporis adde moram.
Atq́ ita Regna Suis, quos tempore colligit omni,
Constituet nullo disperitura die.
Absq́ manu, studioq́ Viri, lapis æthere lapse
Demoliturus cætera, CHRISTE *redi!*

Regis Babyloniorum casus. Dan: 4.

N*Il adeò stabile est! quàm mens humana volebat,*
Multa cadunt aliter sæpè, volente Deo.
Regifico qui tabuerat pænè antea luxu,
Ecce! ferino ut nunc pascitur ille cibo.

Quâ pares vel dispares Min· & tibicines. Ies: 58.

V*Oce ciere Viros Præco solet, ære Tibicen,*
Alter ad arma, alter ad Pietatis opus.
Cætera diversi facto (res mira!) quòd uno
Et bene conveniunt, nec bene conveniunt.

Dei proprium quid sit?

E*St piger ad pœnas (hæc æst natura supremi*
Numinis) at velox ad benefacta Deus.
Immò peregrinam rem tunc exercet, in ipsos
Si quoties homines cogitur esse ferox.

Sic cum naturæ pugnat bonitate Parentis
Sævire, & Nati membra ferire sui.
Hoc tamen ille, hominum fœdis urgentibus ausis
Sæpè peregrino cogitur uti opere.
Vt, resipiscentes erga, præstare, IEHOVA,
Germanum Nostri posset amator opus.
Si tale est summum, si tam placabile Numen,
Quomodo desperem de bonitate DEI!

Deus suos eximit periculis. Ies. 57.

Cùm placet, & sic est constans sententia IOVÆ,
Fœda malignorum plectere facta Virûm,
Seu Martis cæde horrenda, seu tabe rapaci,
Sive fame, pœnâ denique sive aliâ.
Morte priùs placida de terris colligit istis,
Dilectas animas, sanctaq; Corda Virûm.
Impius hæc fieri numquam considerat antè,
Invisum donec jam premat ira caput.
Antiquum retine, IOVA *ô justissime, morem,*
Et ne cum reprobis nos quoque plecte Viris!

Doctrinæ & Pietatis præmia. Dan: 12.

ÆTheræ quondam fulgebunt Lampadis instar,
Virtutem sancti qui coluêre Viri.
Quiq; alios Legem justos fecêre docendo,
Vt Stellæ, ignari postea finis erunt.

DEI Philantropia. Ies. 49.

NAtorum ut nequeat misereri oblita suorum,
Sicné est in partus Mater acerba suos?

Sit licèt in partum crudelis & improba Mater,
In nos est Bonitas immoderata DEI.

Pietas sua sorte contenta. Proverb. 20.

NOn *Ego divitias, opulentaq́ munera Regum,*
Aut cupio auriferi fulva metalla Tagi.
Si dederis animæ, & vitæ quibus indiget usus,
O cœli Rector maxime! tùm satis est.

Avaritiæ pœna. Ies. 5.

O *miseros quos urget amor sceleratus habendi,*
Et qui Fratre aliquid paupere pluris habent!
Turpiter hora brevis quæsitas auferet arcas,
Totq́ opus annorum destruet una Dies.

Allegoria.

T*Ristis Hyems hujus, sed tempora Verna futuræ*
Exemplar nostræ conditionis habent.
Sicut hyems canis constringit cuncta pruinis,
Et folia arboribus decutit illa suis:
Flumina dura rigent, operit nix algida terram,
Et torpor cunctis denique rebus inest:
Sic tempestates & nos sine fine fatigant,
Isto quàm miseri vivimus orbe diu.
Dumq́ ita concutimur, premimurq́ dolore perenni,
Vix spes optata est ulla quiete frui.
At sicut Veris jucundo tempore rursus
Cuncta patent, fructus exhibitura suos.

Pullulat alma Ceres, decoratur frondibus arbos,
Omnia muneribus luxuriantq; suis:
Sic postquam veræ Ver illud amabile vitæ
Stellifero optatum proferet Axe diem.
Tristia ceßabunt, fructusq; laboris, & usus
Constabit pressis tempus in omne Piis.
Non gemitus ducent, lachrymis non ora rigabunt,
Sed suus ex merito quemq; manebit honos.
CHRISTE redi, fera ceßet hyems, & purpureum Ver
Æternas nobis fac citò promat Opes!

Quid præstet conscire sibi. Proverb: 28.

TErga dat infelix, cui mens est Conscia pravi,
Vel nullo adverso ponè sequente Viro.
Nusquam tuta fides, etiam vestigia terrent
Hunc sua; sæpè sequens incutit umbra metum.
At IOVÆ metuens, & servantissimus æqui,
Impavidus contrà semper ubiq; loci est.
Vt Leo magnanimus, securus ad obvia quæq;,
Propitio vitam Numine tutus agit.
Infaustus, mala mens transversum, & devius error
Quem rapit! at felix, criminis intus egens!